



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An pœnæ jure decretæ incurrantur propter quamlibet Simoniam, & in quacunq; materia fiat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Simonia sint admittendi ex c. Per tuas. 32. h. t. Videatur fufior utriusque hujus capituli explicatio apud *Auct. Meth. h. t.*

SECTIO VII.

De pœnis Simonia, ac dispensatione in illa.

§. I.

An pœna jure decretæ incurrantur propter quamlibet Simoniam, & in quacunque materia fiat?

PRIMò certum est, nullam pœnam incurri propter Simoniam merè mentalem, si ea purè interna sit, aut exterius non sit ex utraque parte completa, cum actus merè interni non cadant sub jurisdictionem Ecclesiæ directè. Secundò satis certum est, nullam etiam juris positivi pœnam ipso facto incurri, propter Simoniam merè conventionalem, quæ scilicet non est completa ex utraque parte, exceptâ Simoniâ confidentiali, sicuti enim SS. Canones, dum pœnas in Simoniacos statuunt, non loquantur, de conventionibus tantum, sed de dantibus & accipientibus temporale pro spirituali, neque sunt ultra verborum proprietatem in materia pœnali extendendi, sic in Simonia confidentiali etiam conventiones propriâ auctoritate factas suis pœnis afficiunt Pontifices. Nec propter Simoniam realem ex utraque parte completam, incurrantur pœnæ à jure statutz, ipso facto, præter illam, quæ committitur in ingressu religionis, susceptione ordinum, aut admissione beneficiorum; quatenus enim in jure mul-

tæ pœnæ statuuntur in Simoniacos non tamen omnes in quolibet casu ipso facto incurrantur, sed illi tantum juxta clara verba juris, qui Simoniam committunt in ingressu in religionem, susceptione ordinum, vel beneficiorum. Comprehenduntur tamen pœnis à jure statutis etiam illi, qui occultam Simoniam committunt, juxta *extravag. Detestabile 2. h. t.* inter communes, & qui juris Ecclesiastici Simoniam tantum committunt, quæ sit in perauktionibus beneficiorum sine Superioris auctoritate factis. *c. 5. & 7. de rerum permutat. & c. de hoc 11. h. t. & juxta cit. Extravag. eodem.*

§. II.

An & qualiter incurratur pœna excommunicationis propter simoniam commissam in ordine, vel beneficio?

INcurri ipso facto tam ab ordinante, quam ab ordinato, pœnam excommunicationis Papæ reservatam, si ab his simonia realis & completa in ordine conferendo committatur, *ex cit. Extravag. 2. patet §. statuentes.* ita ut nomine ordinum in hac materia veniant tam minores, quam sacri ordines (cum jura universaliter loquantur de Ordinibus) etiam prima tonsura, & si quæ simonia committitur, in impetrandis Dimissorijs, quæ sunt dispositiones ad ordines: qualis excommunicatio Papæ reservata etiam incurritur, propter simoniam realem, & utrinque completam, in beneficijs, electionibus, presentationibus, collationibus, confirmationibus &c. statim beneficia propriè dicta illa sunt, & non sunt tan-